



Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola CCXVIII. Ioannis Papae VIII. Ad Romanvm Archiepiscopvm.
Miratur, quod iniuriis laccessitus ad se non confugerit. nuntium Rauennam
mittit, qui omnia contra eum gesta diligenter inquirat: & ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

ua, & defensa non solum a Paganis, sed etiam a malis Christianis, quos ipsi procul dubio scitis, permaneat: donec Deo auxiliante, reuertentes ad gremium sanctæ matris vestræ Romanæ ecclesiæ veniatis; quia si hoc prætermiseritis, tanta vndique aduersa vix ferre valemus. Quapropter vestra regalis magnitudo præuideat, ne veltris diebus eadem ecclesia aliquam minuitatem patiatur, sed per vos magis augmentetur; quoniam ipsius augmentum vester est honor. Ideo petimus, vt cum præsente iam dicto nepote nostro idoneum e latere vestro nobis dirigatis legatum, qui ad salutem, & iustitiam terræ nobiscum interim pariter & promptissime in omnibus, prout opus fuerit, desudet; vt & nos omnem vestrum honorem libentissime valeamus perficere: cui ea, quæ vobis dixerit, quasi nobismet ipsis credere non dedignemini. Quamobrem rogamus, vt libenti animo hoc facere, & secundum promissum vestrum adimplere omnimodis satagatis: nam certos vos esse volumus, quia vestrum honorem, & gloriam tota mente desideramus perficere.

EPISTOLA CCXVIII.

IOANNIS PAPÆ VIII.
AD ROMANVM ARCHIEPISCOPVM.

Miratur, quod iniuriis lacestitus ad se non confugerit. nuntium Rauennam mittit, qui omnia contra eum gesta diligenter inquirat: & eos, qui iniuriam intulerant, Romam venire compellat; quibuscum ipse ad Synodum proficiscatur, vbi eius causa agetur: eumque argit, quod in sua ecclesia non resideat.

Reuerendissimo & sanctissimo Romano archiepiscopo sanctæ Rauennatis ecclesiæ.

AVDIENTES tales vobis a quibusdam insidias, & iniurias accidisse, mirati sumus, quomodo ad Romanæ ecclesiæ gremium, & ad nostram apostolicam non statim veneritis præsentiam; nam si venissetis, pro certo scire potestis, quia nos diligenter inquisitis omnibus, omnem tuam causam ad optatum, & prosperum finem, Deo fauente, omnimodo perduceremus. Nunc autem pro huius rei

rei causa missum prudentem dirigit Rauennam; cui ea, quæ nobis mandastis contra te acta fuisse, diligenter inquirere iubemus, ut eos qui talia, ut asseritis, egerunt, sub fideiuffore, talique legato obliget; quatenus ipsi de praesenti Romam compellantur venire. Quibus sane venientibus, volumus ut & vos pariter veniat Kalendis Octobris, sicut tibi pro celebranda etiam Synodo iam præceptum est, quia in præsentia nostra causam tuam volumus deliberare: quoniam nos, secundum datam nobis diuinitus potestatem, more præcessorum nostrorum vos adiuuare omnino curabimus; nam volumus ut honor sanctæ Rauennatis ecclesiae semper indiminutus permaneat. In hoc tamen redarguendus es, quia dimissa ecclesia tua Rauennæ, per alienas ecclesias contra tuam sponzionem discurris, & resides: nam pro his quæ tibi euenisce dicas. Data ut supra. Deest alii quid.

E P I S T O L A C C X I X.

I O A N N I S P A P Æ V I I I .

A D O M N E S F I D E L E S .

Præcipit ut Ticinensi episcopo, cui potestatem excommunicandi tribuerat, obedient.

Omnibus reuerendissimis & sanctissimis episcopis, seu eximiis marchionibus, & comitibus, cunctisque sanctæ Dei ecclesiæ fidelibus.

HABENTES omnium ecclesiarum Dei, secundum A-^{2. Cor. 11.} postulum, solitudinem, dignum duximus vestram industriam his apostolatus nostri literis admonere, atque apostolica benignitate magnopere exhortari: quatenus potentia munus, quod diuina largitate habetis, vtilitati ecclesiae, & honori sacerdotali prodeesse debeat semper. Quapropter reuerentiam & honorem sanctæ Ticinensi ecclesiae quæ speciali quodam modo sedi apostolicæ pertinere videtur, eiusque antistiti Ioanni videlicet confratri nostro, cui vice nostra transgressores excommunicandos commisimus, eo videlicet tenore, ut quos ipse excommunicauerit, ipsi excommunicati existant. ut ei auxilium alacriter impendatis, monemus, nullamque contrarietatem, vel inuisionem in rebus, vel hominibus ipsius ecclesiae quamli-

Concil. Tom. 24.

K k